



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VII. De Lege pœnali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

est ad bonum commune, cui sufficientissime providetur, si regulariter, & extra casus extraordinarios de quibus agitur, observetur lex, quæ proinde sic finem suum consequitur sufficienter.

Obj. 2. Subditus licet potest servare legem humanam, non obstante periculo mortis, quod actui præcepto accidentarium est. Ergo revera obligatur ad servandam legem humanam, non obstante, &c. *R. neg. confeg.* Aliud enim est obligari ad servandam legem cum periculo mortis, & aliud licet posse illam observare cum tali periculo. Plus enim ad primum requiritur quam ad secundum; & quamvis ad utrumque gravis & iusta causa requiratur, quia homo vitam suam prodigere non potest pro quacunque etiam levi causa; gravior tamen ratio necessaria est, ut subditus ad id obligari possit, quam ut id propria sponte facere possit licet & honeste: honesta enim, quando valde ardua sunt & difficilia, non possunt nobis ab hominibus præcipi sine magna aliqua & speciali necessitate, qua non indigemus ad ea propria sponte faciendâ licet & honeste. Hinc subditus potest licet & honeste, vitam exponere pro bono communi, quoties hoc bono communi magnopere profuturum esse speratur. At non potest ad id obligari à legislatore humano, nisi hoc postulet extrema, vel saltem gravis aliqua necessitas boni communis.

Obj. 3. Non potest quis propter periculum mortis contrahere cum consanguinea in gradu prohibito per legem humanam. *R. inde nihil sequi pro legibus merè præceptivis, vel prohibitis, de quibus tantum hic agitur, & quas negamus per se obligare cum periculo mortis accidentario.* Lex enim prohibens matrimonium cum consanguinea in certo gradu, non purè prohibet, sed etiam irritat tale matrimonium, & quidem absolute, non obstante quocunque periculo, quod non contrahendo incurri potest, ut constat ex communi sensu Doctorum, & praxi Ecclesiæ. Unde qui contrahit propter mortis periculum cum consanguinea in gradu prohibito per legem, peccat graviter: nam sic contrahendo vel tentat facere sacramentum, vel non tentat. Si primum sacrilegium admittit: qui enim tentat sacramentum facere; cum non potest, sacrilegus est. Si secundum, saltem fide agit in re gravi, quod esse non potest sine peccato mortali.

Dices. Lex humana irritans matrimonium cum consanguinea in certo gradu, irritat, non obstante periculo mortis accidentario. Ergo similiter lex humana purè præcipiens vel prohibens aliquem actum non obstante periculo mortis accidentario, obligat.

R. neg. confeg. Ratio disparitatis est, quia ad bonum statum & rectam gubernationem reipublice requiritur, ut lex irritans matrimonium cum consanguinea intra certos gradus, irritet illud absolute & pro quocunque casu; nam si non irritaret absolute & pro quocunque casu, innumera ejusmodi matrimonia fierent ob metum mortis, unde plurima & gravissima incommoda orirentur contra commune bonum reipublice, cui proinde non esset satis provisum. At verò ad bonum statum & rectam gubernationem reipublice sufficit, quod lex purè præcipiens vel prohibens aliquem actum, ad illum faciendum vel omittendum regulariter, & extra casus extraordinarios, hoc est, extra periculum mortis, vel alterius gravis nocuenti, obliget; & sic tantum obligando, satis providet bono communi, proindeque satis consequitur finem suum, quod est bonum commune: non ergo debet majorem obligationem imponere.

Obj. 4. Regula Carthusianorum non vescendi carnibus, obligat egrotos etiam cum vitæ discrimine. Ergo, &c. *R. Carthusianos 1. posse licet & laudabiliter abstinere ab esu carnium etiam cum periculo mortis, quia licitum est & laudabile, atque sanctorum usu confirmatum aliquid facere, unde vita brevior futura sit, modo id fiat ob gravem aliquam & honestam causam. 2. revera obligari ad abstinendum ab esu carnium cum mortis periculo quia lex non vescendi carnibus etiam cum vitæ periculo, in sancta illa re*

Simonet Theol. Tom. II.

religione lata, nec injusta est, nec durior censi potest; nam lata propter magnam utilitatem, seu magnum bonum communitatis, nec obligat nisi homines illi se per vota liberè omiffa voluntariè submittentes, & potest legislator humanus ad aliquem actum, etiam cum periculo mortis contingenter adjuncto, obligare homines legi voluntariè se submittentes, modo ad ferendam legem moveri possit magna aliqua utilitate, seu magno aliquo bono communitatis; neque tunc ad legem ferendam requiritur extrema vel gravis necessitas communitatis. Inde autem nihil sequitur contra assertionem nostram, in qua non agitur, nisi de lege humana aliquem actum præcipiente vel prohibente subditis, quibus liberum non est se submittere, vel non submittere obligationi legis, quales sunt subditi communitatis civilis, vel ecclesiasticae.

Quæres. utrum leges præsumptivæ obligent in conscientia.

R. Leges præsumptivæ non obligant in conscientia, quando fundantur in falsa præsumptione. Nam in foro conscientiae non habetur ratio falsæ præsumptionis, sed solius veritatis. Sublato autem legis fundamento, lex non subsistit, nec obligat.

Porro duplex est præsumptio, una periculi, seu potentiae, quæ frequenter ad actum reducitur; altera vero facti. Quando lex fundatur in præsumptione periculi, licet non existat, nec exiturum sit factum quod timetur nihilominus manet legis obligatio. Sic v. g. lex irritans & prohibens testamenta, legata, & alios similes contractus, sine certa solemnitate facta, quamvis nulla fraus intercesserit, habet tamen omnem effectum suum quia non in fraude facta, sed in periculo fraudis faciendæ fundatur. Idem dic de lege Conc. Trid. irritante & prohibente matrimonium clandestinum; quia fundantur in periculo variorum scelerum, quæ ex ejusmodi matrimoniis oriri possunt. Idem etiam dic de lege ejusd. Conc. irritante & prohibente vororum professionem factam ante decimum sextum ætatis annum expletum; quia non in defectu iudicii ad hanc professionem necessari, fundatur, sed in periculo ut desit. Idem denique dic de lege irritante & prohibente bonorum Ecclesiæ alienationem, factam sine certa solemnitate; quia fundatur in periculo, ne in detrimentum Ecclesiæ fiat hæc alienatio.

Quando autem lex fundatur in præsumptione facti, quod supponitur in re existere, si factum non existit, & ita falsò præsumitur, lex non obligat, quia legislator non intendit obligare, nisi præsumptio cum veritate concordet, & factum re ipsa existat, quale præsumitur. Sic v. g. lex præcipiens ut obediant sententiæ quia præsumit eam esse justam, non obligat, si sententia sit injusta. Sic etiam cum Ecclesia præcipit aliquibus ut cohærent, quia præsumit eos esse valido matrimonio conjunctos, nec obligat, nec obligare potest, si propter occultum aliquod impedimentum, matrimonium invalidum est; & illi quibus præcipit ut cohærent, choabitando peccant mortaliter. Porro quandonam leges præsumptivæ fundentur in præsumptione periculi, quandonam in præsumptione facti, cognoscitur ex tenore & materia legis adjuncto usu, & interpretatione Doctorum.

DISPUTATIO VII.

De Lege penali.

ARTICULUS I.

Utrum possit dari lex penalis mixta, & an re ipsa detur.

RESPONSIO I.

Dari potest lex penalis mixta.

Prob. Lex penalis mixta est ea, quæ obligat in conscientia ad faciendum vel omittendum aliquid, & simul penam imponit transgressoribus: unde con-

tinet præcepta duo, quæ in conscientia obligant, unum faciendi vel omittendi aliquid, alterum verò subeundi certam pœnam, si actus præceptus vel prohibitus, omittatur vel ponatur. Atqui dari potest huiusmodi lex. Nam lex huiusmodi non superat potestatem legislatoris humani, siue civilis, siue ecclesiastici; imò recta gubernatio & bonum commune postulant, ut hanc potestatem habeat legislator humanus, siue civilis, siue ecclesiasticus; lex enim ad aliquid faciendum, vel omittendum obligans, & simul pœnam transgressoribus imponens, nullam continet iniustitiam, & potest esse valde conveniens, imò & moraliter necessaria communitati, quia obligatio in conscientia ad faciendum vel omittendum actum eum obligatione ad pœnam, magis urget, quàm alterutra tantum, & potest sæpè contingere, ut una tantum obligatio sit parum efficax, Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Reverà dantur leges pœnales mixtæ,

Prob. Lex præcipiens sub aliqua pœna, ut aliquid fiat vel non fiat, simul obligat in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, & pœnam imponit transgressoribus. Atqui dantur legis huiusmodi, tum civiles, tum ecclesiasticæ, ut constat ex utroque jure, civili & canonico, Ergo, &c. *Prob. maj.* Et 1. quidem clarum est, quòd talis lex transgressoribus pœnam imponat; hoc enim expressè dicunt verba legis. 2. Quòd talis lex obliget in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, patet ex eo quòd præcipit ut aliquid fiat vel non fiat: legitimum enim superioris præceptum necessariò & ex natura rei inducit obligationem in conscientia.

Præterea, pœna temporalis adjectio, 1. non est impossibilis cum obligatione in conscientia, ad faciendum vel non faciendum aliquem actum, ut ostensum est. 2. Non est sufficiens indicium, quòd superior nolit præcipere, & consequenter nolit obligare in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, quia superiores non solent pœnas adicere, ut præceptum suum destruant, sed è contra ut illud minuant, atque ad illud implendum subditi efficacius inducantur, Ergo, &c.

Obi. Qui unum è duobus exprimit, & alterum tacet censetur illud excludere quod tacet. Atqui in legibus de quibus agitur, legislator unum exprimit, nempe pœnam temporalem, & alterum tacet, nempe obligationem in conscientia ad faciendum vel non faciendum aliquid. Ergo censetur hanc obligationem excludere. *R.* cum qui unum exprimit, & aliud tacet, excludere illud quod tacet, quando aut unum est impossibile cum alio, aut alterutrum è duobus eligendum est, aut expressa utriusque mentio facienda est, nec sufficit implicita. At 1. obligatio ad pœnam temporalem non est impossibilis cum obligatione in conscientia, ad faciendum vel non faciendum aliquem actum, sed è contra utiliter & convenienter coniungi possunt. 2. Propter hanc rationem cum legislator ferre legem, non tenetur alterutram obligationem eligere. 3. Non est necessaria expressa mentio obligationis in conscientia, faciendi vel non faciendi aliquem actum, sed omnino sufficit implicita, contenta in præcepto, quo legislator sufficienter significat se obligare in conscientia sub mortali vel veniali, prout materia quæ præcipitur, gravis est vel levis: nam obligatio in conscientia essentialiter adnexa est præcepto, nec solet aliter significari quàm præcipiendo.

Itaque ut legislator, etiam ea lege qua pœnam transgressoribus expressè imponit, obliget in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, sufficit, si velit præcipere, & præcipiat ut fiat vel non fiat aliquid, siue cogitet de obligatione in conscientia, siue non; siue expressè intendat obligare in conscientia, siue non; siue sciat quid sit obligatio in conscientia, siue non: tunc enim vis naturalis præcepti inducit obligationem in conscientia faciendi vel non faciendi actum, quem fieri vel non fieri lex præcipit, siue purè præcipiat, siue præcepto certam pœnam temporalem appo-

nat. Hinc Principes infideles, qui leges suas ferendo aut ignorant quid sit obligatio in conscientia, aut saltem de ea non cogitant, hoc ipso quòd volunt præcipere, & præcipiunt aliquem actum, ad illum obligant in conscientia, ut probant verba Apostoli Rom. c. 13. aliàs jam non semel citata.

ARTICULUS II.

Utrum possint dari, & re vera dantur leges purè pœnales.

RESPENSIO I.

D Ati possunt leges purè pœnales.

Prob. Lex purè pœnalis est ea, quæ unum tantum continet præceptum, illudque disjunctivum, scilicet vel faciendi aut non faciendi actum aliquem, vel subeundi aut exequendi pœnam aliquam, si fiat aut non fiat actus. Atqui dari possunt leges huiusmodi: nam sicut legislator potest non præcipere, ut actus fiat aut non fiat, ita potest vel absolute præcipere ut fiat aut non fiat; vel præcipere disjunctivè, ut vel fiat, aut non fiat; vel si non fiat, aut fiat, subeat pœna quam apponit: potest enim habere causas rationabiles præcipiendi disjunctivè tantum, modo explicato, puta ut magis vitetur periculum peccandi, & quia subditi ad actum præceptum vel prohibitum faciendum vel omittendum, sufficienter impelluntur timore pœnae: imò hic modus præcipiendi quandoque magis expedit saluti & bono communi subditorum, Ergo, &c.

Obi. 1. Lex non potest obligare ad actum sub pœna, quin obliget sub culpa. Atqui lex pœnalis obligat ad actum sub pœna, Ergo etiam obligat sub culpa, & consequenter nulla purè pœnalis esse potest. *Probabis major.* Nam lex debet esse iuxta. Lex autem obligans ad actum sub pœna, & non obligans sub culpa, non esset iusta, sed iniusta: infligeret enim pœnam, nulla supposita culpa, quod iniustum est, quia, ut ait S. Augustinus lib. 1. retract. c. 9. omnis pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.

R. dist. maj. Lex non potest obligare ad actum sub pœna propriè & strictè dicta, quin obliget sub culpa. *C. maj.* nam pœna propriè & strictè sumpta, est malum aliquod propter culpam inflictum, unde supponit culpam aliquam, propter quam infligitur: de pœna autem hoc modo sumpta loquitur S. Augustinus loco citato. Lex non potest obligare ad actum sub pœna impropriè & latè dicta, quin obliget sub culpa. *N. maj.* nam pœna impropriè & latè dicta, est onus quoddam, seu incommodum, quod imponitur, non propter culpam aliquam, sed aliam ob causam, puta ut subditi metu illius inducantur ad faciendum, vel non faciendum aliquem actum; unde culpam non supponit, sed solum v.g. omissionem vel positionem alicujus actus, licet nullo jure sit præceptus vel prohibitus.

Ad min. autem dico, legem pœnalem mixtam obligare sub pœna propriè & strictè sumpta: unde ad actum aliquem faciendum vel omittendum; non solum obligat sub pœna, sed etiam sub culpa. Lex verò purè pœnalis obligat tantum sub pœna impropriè & latè sumpta; unde ad aliquem faciendum vel omittendum obligat sub pœna tantum. In hoc ergo lex pœnalis mixta, & purè pœnalis differunt, quòd prima duplicem imponat obligationem in conscientia, unam ad aliquid faciendum vel omittendum, & alteram, si illud omittatur vel fiat, ad subeundum malum aliquod, quod est propriè pœna, quia culpam supponit, & propter culpam imponitur; secunda verò, nempe lex purè pœnalis, unam tantum imponat obligationem in conscientia, subeundi videlicet aliquod onus vel incommodum, ex hypothesi quòd fiat vel non fiat aliquis actus: quod onus seu incommodum non est nisi impropriè pœna, quia nec supponit culpam, nec propter culpam imponitur. Unde fit, subditus, qui

facit

facit vel non facit aliquid quod lex non fieri vel fieri exigit sub tali onere, nullatenus peccat, modò onus illud subbeat.

Obj. 2. Lex est ordinatio superioris, directiva actuum humanorum. Ergo subditus hoc ipso peccat, quòd non facit actum, quem illa fieri intendit: hoc ipso enim deficit à rectitudine legis. Ergo omnis lex, si ve pœnalis sit, si ve non, obligat sub culpa ad actum quem intendit fieri, & consequenter nulla ad actum quem intendit fieri, obligat sub pœna tantum, ac proinde nulla potest esse purè pœnalis.

R. legem omnem esse superioris ordinationem, actuum humanorum directivam, vel absolute præcipiendo ut aliquid fiat vel non fiat, & tunc subditus omittendo vel faciendum illud, peccat, & deficit à rectitudine legis; vel disjunctivè præcipiendo, ut aut aliquid fiat vel non fiat, aut pœna subbeat, & tunc subditus, modò alterutrum præster, non peccat, nec deficit à rectitudine legis, & ita non peccat, nec deficit à rectitudine legis, actum, cujus positionem vel omissionem intendit lex, omittendo vel faciendò, modò pœnam subbeat.

RESPONSIO II.

Dantur leges purè pœnales.

Prob. ex Constitutionibus Prædicatorum, teste S. Thoma, qui sic ait 2.2. q. 186. a. 9. & 1. *In aliquareligione, scilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omisso (circa ea quæ ad observantiam regularem spectant) in suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Ergo, &c. Et verò quidni darentur leges huiusmodi; cum sæpe aptiores esse possint ad convenientem subditorum gubernationem; quia sæpe maiorem adhiberi coactionem nec necesse est, nec expedit, & hoc pacto subditi ad faciendam vel omittendam aliqua, quæ ad exteriorem observantiam regularem pertinent, cum minori animarum periculo, & minori gravamine moventur sufficienter, siquæ lex finem à se intentum sufficienter assequitur cum minori gravamine, & periculo salutis subditorum.

Quæres, quandam lex, quæ certam pœnam apponit, sit purè pœnalis?

R. Purè pœnalis est, 1. quando legislator aperte declarat, se nolle aliter obligare, quam sub pœna. 2. Quando verba legis, actum aliquem fieri vel non fieri exigentis, non exprimunt præceptum, cadens in actum illum, & aliunde ex circumstantiis, vel materia, aut pœna apposta verisimilius apparet, intentionem legislatoris non esse obligandi sub culpa, ad faciendum vel non faciendum actum; tunc lex meritis censetur obligare tantum sub pœna ad actum vel omissionem ejus, proindeque esse purè pœnalis. Talis v. gr. esset lex, qua diceretur: Qui rixatur perdat arma; vel. Qui venatur, tali pecunie summa mulctetur.

Aliter sentiendum est de lege, quæ imponit pœnam, quæ supponit culpam, ut de lege, qua dicitur: Qui hoc fecerit, excommunicetur. Quamvis enim non fiat per verbum præceptivum, sufficienter ex pœna apposta innoscitur legislatoris intentionem esse obligandi, & quidem sub culpa gravi, ad aliquid omittendum, quia nemo excommunicari potest, nisi propter gravem culpam.

Idem dic de lege, quæ imponit aliam gravissimam pœnam. Sic lex, qua dicitur: Si quis hoc fecerit, capite plectatur; vel: Si quis hoc fecerit, bonis omnibus mulctetur; licet non exprimat verbo actum prohibente, censeri tamen debet actum prohibere sub culpa gravi, & ad omissionem illius sub gravi culpa obligare, quia propter pœnam appositam, sufficienter apparet legislatoris voluisse hanc obligationem imponere; nec sine gravi ipsius injuria, & legis ejus, præsumi potest tantam apposuisse pœnam omissioni actus, quæ aut nullo modo, aut non nisi leviter sit culpabilis.

Idem denique dicendum de lege quæ versatur circa

Simonet Theol. Tom. II.

bonos mores, vel vitia: quamvis enim non feratur per verba præceptiva vel prohibitiva, imò nec gravem adeò pœnam imponat, tamen propter materiam circa quam versatur, censenda est sub culpa obligare ad actum, vel ejus omissionem, quia legislator censendus est semper obligare modo magis conveniente. Magis autem convenit tunc ad actum vel omissionem ejus obligare in conscientia, quia, ut supponitur, lex multum valere potest, imò & valde necessaria est ad bonos mores promovendos, & vitia cohibenda.

Porro si dubium est, utrum legislator voluerit obligare sub pœna tantum, an etiam sub culpa, cum tutior pars semper tenenda sit, perinde subditi se gerere debent, ac si lex expressè obligaret non solum sub pœna, sed etiam sub culpa, ad actum, vel ejus omissionem.

ARTICULUS III.

Utrum lex pœnalis obligare possit in conscientia, ad subeundam pœnam ante sententiam judicis.

RESPONSIO I.

Lex pœnalis potest obligare in conscientia ad subeundam ante sententiam judicis pœnam merè passivam, seu pœnam privativam, ad cujus executionem ministerium delinquentis non requiritur.

Prob. Nam v. g. irregularitas & excommunicatio minor, non solum possunt incurri, sed etiam re ipsa incurruntur ipso facto, & ante sententiam judicis. Item excommunicatio major, suspensio, & interdictum possunt etiam incurri ipso facto, & ante judicis sententiam, & sæpe incurruntur. Atqui pœnæ illæ omnes sunt pœnæ merè passivæ. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia legislator per legem suam potest infligere & exequi pœnas merè passivas, quoties hic modus infligendi & exequendi pœnas illas necessarius est, aut saltem valde conveniens ad bonum commune. Atqui hic modus infligendi & exequendi pœnas illas potest esse, & sæpe necessarius est, aut saltem valde conveniens ad bonum commune, ut docet experientia. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Lex pœnalis obligare potest in conscientia ad subeundam ante sententiam judicis pœnam passivam, seu privativam, ad quam requiritur ministerium delinquentis.

Prob. Nam 1. potest ipso facto, & ante sententiam judicis, induci privatio beneficii, etiam antea justè possessi, & obligatio in conscientia illud relinquendi. 2. Potest ipso facto, & ante judicis sententiam, induci privatio fructuum beneficii, & obligatio in conscientia eos restituendi. Atqui pœnæ illæ, & aliæ similes, sunt privativæ, sic tamen ut ad earum executionem necessarium sit delinquentis ministerium. Ergo, &c. Ratio à priori est quia ad rectam gubernationem & bonum commune, sæpe necessarium, aut saltem valde conveniens est, ut legislator per leges suas certas, pœnas privativas imponat, ipso facto & ante sententiam judicis incurrendas, cum obligatione sub culpa in reo eas exequendi, quoties scilicet, ut semper supponitur, per modum imponendi tales pœnas cum obligatione in conscientia illas exequendi etiam ante judicis sententiam, non excedit limites æquitatis, & justæ moderationis. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Lex pœnalis potest obligare in conscientia, ad subeundam ante sententiam judicis pœnam activam, hoc est pœnam quæ in actione delinquentis consistit.

Prob. Nam lex pœnalis potest v. g. in conscientia obligare ipso facto & ante judicis sententiam, ad precum aliquarum recitationem, ad moderatam corporis castigationem voluntariam, ad mulctam pecuniariam, &c. Atqui pœnæ huiusmodi in actione delin-

quentis consistunt. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia legislator in pœnis per legem suam imponendis potest eo uti modo imponendi, qui non repugnat aequitati & justæ moderationi, & aliunde ad bonum commune & rectam gubernationem potest expedire. Atqui modus imponendi pœnas illas, & alias similes, cum obligatione sub culpa in delinquentem ad eas exequendas, non expectata judicis sententia, nec aequitatis, nec justæ moderationi repugnat, & aliunde multum expedire potest ad rectam gubernationem & bonum commune. Ergo, &c.

RESPONSIO IV.

Lex pœnalis non potest obligare ipso facto, & ante omnem sententiam judicis, ad quamcumque pœnam, ad cujus executionem delinquentis actio requiratur.

Prob. Nam 1. aliqua pœna tales sunt, ut reus non possit illas licite exequi in se ipso, sive ante, sive etiam post judicis sententiam, ut occisio, vel mutilatio sui ipsius. 2. Multæ aliæ sunt pœnæ tam graves & accerbæ, ut ad illas exequendas non possit reus ante sententiam judicis obligari in conscientia, servata aequitate & justâ moderatione; ut si quis ipso facto & ante sententiam judicis obligaretur ad spoliandum se bonis omnibus, aut ad abstinendum ab omni cibo, etiam oblato, & sic ad sponte percundum fame. Atqui quod legislator non potest, nisi violando aequitatem, & justæ moderationis limites excedendo, omnino non potest: talis enim potestas bono communi & rectæ gubernationi adversaretur. Ergo, &c.

Propter eandem rationem fieri potest, ut lex pœnalis, quæ, quia humana & moderata est, per se obligat ipso facto, & ante sententiam judicis, reum ad pœnam aliquam subeundam & exequendam, per accidens desinat sic obligare quando reus pœnam illam subire & exequi non potest sine gravi scandalo, vel gravi infamia, aut gravi alio incommodo: tunc enim legislator non modò censendus est nolle obligare pro tali casu, sed nec posse; quia pro tali casu quamvis ex accidenti, pœna, ut exequenda ante sententiam judicis, excedit rationem justæ pœnæ; & ad bonum commune, ac rectam gubernationem, quæ mensura est potestatis legislativæ, satis est, si reus ante sententiam judicis pœnam subeat & exequatur extra talem casum; in quo proinde, si quando contingat, potest reus ad subeundam & exequendam pœnam expectare sententiam judicis.

Obi. Pœna excommunicationis majoris gravissima est, & tamen incurri potest ipso facto, & ante sententiam judicis. Ergo quævis alia pœna potest similiter incurri, quantumcumque gravis sit. *R.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia pœna excommunicationis facile reparari potest, & privat tantum bonis communibus spiritualibus, quibus non aded tanguntur homines carnales, & quorum proinde privatio non aded gravatè sustineri solet. Unde quod excommunicationis pœna ipso facto & ante sententiam judicis incurritur, non est supra justam moderationem, & humanam conditionem, seu possibilitatem. At sunt aliæ pœnæ, quæ attingunt bona sensibilia, eaque magna, quibus carere molestissimum esset hominibus, & quæ amissa reparari aut omnino non possunt, aut non possunt nisi difficillimè: unde, quod ejusmodi pœnæ ipso facto, & ante sententiam judicis incurrantur, justam moderationem, quæ ad justitiam legis requiritur, & moralem conditionem & possibilitatem humanæ naturæ superat, proindeque repugnat bono communi, & rectæ gubernationi.

ARTICULUS IV.

Utrum lex pœnalis obliget judicem ad pœnam imponendam, & reum ad illam exequendam post sententiam judicis.

RESPONSIO I.

*S*i lex pœnam imponit, tenetur judex, facta sufficienti probatione, crimen declarare, & procurare executionem pœnæ per legem impositæ. Si verò lex minatur tantum pœnam, debet judex illam imponere, & illius executioni incumbere.

Prob. Nam judici ex officio & ex justitia incumbit custodia & executio legum publicarum: est enim ad hunc finem à republica, vel à Principe constitutus justitiæ minister, & veluti lex animata: unde ex officio & justitia tenetur procurare ut leges publicæ, quas supponimus justas esse, & ad bonum commune necessarias, aut saltem utiles, serventur & vigant. Ad hoc autem procurandum manifestè requiritur, ut, si lex pœnam imponit, ipse post sufficientem probationem crimen declaret, & pœnæ per legem impositæ executionem procuret: vel si lex pœnam tantum minatur, illam ipse imponat, & impositam executioni mandari curet. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Lex pœnalis, post laram à judice sententiam, reum obligat in conscientia ad pœnam physicam patienter, & sine positiva resistantia sustinendam.

Prob. Nam judex post laram à se justè & secundum leges sententiam, jus habet exequendi pœnam: nam si non haberet, ad quid valeret ejus sententia? Ergo reus non habet jus resistendi. Certe jus in judice ad pœnam exequendam, & obligatio in reo ad illam patienter & absque positiva resistantia tolerandam, sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse non potest, ut patet ex terminis.

At inquis. Quid si sententia à judice lata, careat veritatis fundamentis, sed justa sit in foro exteriori, quia secundum allegata & probata judicatum est? Tuncne damnatus pœnam physicam tenetur in conscientia patienter & absque positiva resistantia sustinere? *R.* damnatum in casu proposito obligari in conscientia ad pœnam patienter tolerandam, si non potest illam vitare sine resistantia publica, & scandalo. Talis enim resistantia semper est illicita, quando sententia justa est secundum allegata & probata, quia tunc judex utitur legitima potestate, cui subditus parere tenetur in conscientia. Quod si damnatus pœnam vitare potest absque scandalo & violenta resistantia, non obligatur ad illam sustinendam.

RESPONSIO III.

Quando lex pœnalis imponit pœnam ipso facto, si ad executionem pœnæ aliqua delinquentis actio, vel cooperatio necessaria est, ad eam statim delinquens præstandam obligatur in conscientia, postquam à judice lata est sententia criminis declaratoria; modò tamen pœna ipso facto imposita, talis non sit, ut propter hunc modum imponendi pœnam, aequitatem & justam moderationem excedat.

Prob. Nam cum lex justa sit, & ipso facto imponat pœnam, quam reus licite & convenienter exequi potest, ut supponitur; certe ut reum ad exequendam pœnam obliget in conscientia, nihil aliud expectare potest, quam sententiam criminis declaratoriam: cum ipsa jam tulerit sententiam condemnatoriam.

Dixi autem, modò tamen, &c. Nam lex v. gr. ipso facto imponens pœnam confiscationis omnium bonorum, videtur non obligare in conscientia reum ad pœnam exequendam, etiam post sententiam criminis declaratoriam; & licite expectare posse, ut judex ipse pœnam illam exequatur, proindeque reum obligari in conscientia tantum ad non impediendam illam executionem, eamque patienter & absque positiva resistantia tolerandam. Ratio est, quia pœna confiscationis omnium bonorum gravissima est, & talis,

talis, ut moderationem humanam excedere videatur, quod reus ipse teneatur ad illam exequendam, sive ante, sive post sententiam declaratoriam criminis; & aliunde additioni huius vocis, ipso facto, quæ in lege facta est à legislatore, sufficit, quod condemnatio possit retraheri, & retrahatur usque ad diem commissi criminis, quod gravissimum est.

RESPONSIO IV.

Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ sit contra vitam, vel integritatem, ut mors & mutilatio, vel gravem dolorem & ignominiam afferat, ut acerba & publica ac ignominiosa flagellatio, non obligatur in conscientia ad eam exequendam, sed iudex per ministros suos debet illam exequi.

Prob. Nam in pœnis huiusmodi, nimis acerbum & inhumanum est, quod idem sit agens & patiens. Reus tamen ad pœnam corporalem, putà ad pœnam mortis damnatus, tenetur aliquas actiones exercere, quæ non sunt nimis acerbæ, & convenienter ab eo possunt exerceri ad juvandam executionem, per iustitiæ ministros faciendam, ut sunt v. gr. ambulare, patibulum ascendere, &c. Unde actiones illas præcipere potest iudex, & reipsa præcipere per sententiam suam censendus est.

RESPONSIO V.

Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ in corpore, vel per corpus exerceri potest sine nimia acerbitate, ut sunt exilium, detentio in carcere non valde incommodo, moderata & honesta flagellatio, ad illam exequendam obligatur in conscientia.

Prob. Nam sententia iudicis condemnatoria, vel saltem lex post illam sententiam obligat in conscientia ad exequendam pœnam corporalem, quando pœna illa, ut per ipsum reum exequenda, non involvit iniustitiam, vel inhumanitatem, ut fert communis hominum sensus. Atqui talis est pœna corporalis, de qua loquimur, & pater in exemplis allatis. Ergo, &c. Nisi tamen sententiæ iudicis verba non actionem, sed solum passionem respectu rei significant: tunc enim reus non obligatur in conscientia ad agendum, sed solum ad patiendum, & non resistendum.

RESPONSIO VI.

Reus damnatus ad solvendam aliquam pecuniæ summam, si ordinaria est & moderata, obligatur in conscientia ad huius pœnæ executionem.

Prob. Quia talis pœna, ut ab ipso reo post sententiam condemnatoriam exequenda, nec iniustitiam involvit, nec nimiam habet difficultatem; cum, ut supponitur, sit moderata & ordinaria. Porro si reus post sententiam condemnatoriam moriatur ante solutam pecuniæ, quam solvere tenebatur in conscientia, ad eam solvendam tenetur hæres: succedit enim in eodem onere. Cum autem iura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna quæ nondum fuit debita, vivente reo: tunc enim nequidem pœna pecuniaria transit ad hæredem, juxta hanc regulam: Morte finiuntur delicta quoad humanum forum.

ARTICULUS V.

Utrum ignorantia excuset à pœna quam lex imponit vel jubet imponi, aut propter actum quem prohibet, aut propter omissionem actus quem præcipit.

RESPONSIO I.

Omnis ignorantia, quæ excusat legis transgressionem, ne sit culpabilis, excusat etiam pœnam in utroque foro.

Prob. Nam hic agitur de lege pœnali mixta, quæ

præcipit vel prohibet aliquem actum, & transgresso-ribus pœnam imponit, vel jubet imponi. Ergo hic agitur de pœna propriè dicta, quæ supponit culpam, seu transgressionem culpabilem legis, obligantis in conscientia ad aliquem actum, vel omissionem ejus. Ergo pœnam, de qua hic agitur, non incurrit, qui culpam non admittit, hoc est, qui legem non transgreditur culpabiliter. Ergo si propter aliquam ignorantiam non transgreditur culpabiliter legem, propter eandem ignorantiam non incurrit pœnam.

Hinc, quia omnis ignorantia inculpabilis excusat legis transgressionem, ne culpabilis sit; qui ex inculpabili ignorantia legem transgreditur, non obligatur in conscientia ad pœnam exequendam, etiam si lex pœnam imponat ipso facto, & ante omnem declarationem: quod si condemnatur à iudice, quia deficit in probationibus, modò certus sit de sua inculpabili ignorantia, potest licitè pœnam vitare, modò id fiat sine publica resistencia & scandalo.

Obj. 1. Ignorantia excusans culpam, non excusat pœnam irregularitatis, & aliarum similium inhabilitatum. Ergo, &c. *Resp.* dist. ant. Non excusat pœnam irregularitatis, quando irregularitas non imponitur sub ratione pœnæ propriè & strictè dictæ, seu quando non imponitur propter culpam, sed propter aliquam indecentiam, C. ant. tunc enim irregularitas non præsupponit culpam aliquam, sed tantum factum aliquod, quod cum non impediatur ignorantia, non potest impedire irregularitatem. Non excusat pœnam irregularitatis, quando irregularitas imponitur sub ratione pœnæ propriè & strictè dictæ. N. ant. tunc enim irregularitas supponit culpam, quam impediendo, ignorantia impedit irregularitatem.

Obj. 2. Aliquando incurritur pœna propter factum alienum, non obstante ignorantia illius qui pœnam sustinet, ut constat in simonia: nam si quis det pecuniam alteri, ut det beneficium tertio, licet tertius hoc inculpabiliter ignoret, tamen irritatur ejus electio, & fit inhabilis ad habendum illud beneficium. Ergo, &c. *Resp.* neg. conseq. Nam in casu proposito, electionis irritatio & inhabilitas ad beneficium, quam incurrit tertius, respectu illius non habet rationem pœnæ propriè & strictè dictæ, sed solum alicujus incommodi, quod patienter tolerandum est propter bonum commune, propter quod imponitur. Ex eo autem sequitur tantum, quod ignorantia excusans culpam, non excuset pœnam improprie dictam: quod non negamus, & verum est; quia pœna improprie dicta est onus seu incommodum quoddam, quod culpam non præsupponit in eo qui illud incurrit, & ita incurri potest ab aliquo, sine aliqua ipsius culpa propter culpabile factum alterius, vel etiam proprium inculpabile, aut inculpabile illius omissionem.

Obj. 3. Si quis ponat actum aliquem, prohibitum non tantum lege humana, sed etiam divina, sciens, aut saltem non nisi culpabiliter ignorans esse lege divina prohibitum, non excusatur à pœna quam imponit lex humana, quamvis legem humanam ignoret inculpabiliter. Ergo, &c.

Resp. ant. Regulariter loquendo, verum esse, quia regulariter loquendo, lex humana pœnalis prohibens aliquem actum lege divina prohibitum, pœnam apponendo, non solum suam, sed etiam legis divinæ transgressionem culpabilem punire intendit, & aliunde ad pœnam aliquam incurrendam non requiritur ex natura rei, ac proinde necessarium non est ut sciatur, vel non nisi culpabiliter ignoretur impositam esse transgressoribus. Hinc qui non ignorat inculpabiliter rebaptizationem esse lege divina prohibitam, & rebaptizat, incurrit pœnam irregularitatis rebaptizantibus impositam à lege ecclesiastica, rebaptizationem sub hac pœna prohibente; quantumcumque inculpabiliter ignoret hanc legem, & pœnam irregularitatis ab ea transgressoribus impositam.

Dixi autem, regulariter loquendo; quia pœnæ quæ non incuruntur sine contumacia, non incuruntur ab inculpabiliter ignorante leges quibus imponuntur: ut enim delinquens censetur contumax, requiri-

requiritur ut sciat, aut saltem nonnisi culpabiliter ignoret, actum quem ponit vel omittit, prohibitum vel præceptum esse ea lege humana, quæ transgressionibus talem poenam imponit. Hinc censuræ ecclesiasticæ non incurruntur ab eo, qui inculpabiliter ignorat legem ecclesiasticam, per quam imponitur, quia in delinquente contumaciam requirunt, juxta communem Doctorum sententiam.

RESPONSIO II.

Quando ignorantia legis non excusat transgressionem ejus, ne sit graviter culpabilis, non excusat à reatu poenæ, quæ propter gravem illam legis transgressionem imposita est, modò lex non addat verbum, quod scientiam & dolum requirat.

Prob. Ignorantia quæ non tollit causam poenæ, non tollit poenam: nam manente causa, manet effectus. Sed ignorantia quæ non impedit gravem culpam, propter quam poena imposita est, non tollit causam poenæ, ut per se patet. Ergo non tollit poenam. Hinc 1. ignorantia affectata nunquam excusat à poena, quia nunquam excusat à culpa gravi, propter quam poena imposita est. Hinc 2. ignorantia non affectata quandoque excusat à poena, quandoque non, quia quandoque excusat à culpa gravi, propter quam poena imposita est, quandoque non excusat: excusat enim à culpa gravi, quando leviter culpabilis est, utpotè orta ex negligentia levi; non excusat, quando graviter culpabilis est, utpotè orta ex negligentia gravi.

Dixi 1. à poena, quæ propter gravem legis transgressionem imposita est: nam fieri potest, ut ignorantia, quæ non excusat à gravi culpa, excuset tamen à poena, quia nimirum excusat ab aliqua speciali malitia, quam lex intendit punire. Sic v. gr. accedens ad non suam, quam quidem scit non esse suam, sed inculpabiliter ignorat esse conjugatam, quamvis mortaliter peccet, non incurrat poenas latus contra adulteros, quia per inculpabilem ignorantiam excusatur à speciali illa peccati gravitate, quam lex contra adulteros lata, punire intendit, & ita per inculpabilem ignorantiam causa poenæ tollitur.

Dixi 2. Modò lex non addat verbum, quod scientiam & dolum requirat: nam aliquæ leges addunt verbum, scienter, vel, præsumpserit, vel, qui temerè hoc fecerit, aut aliud æquivalens, quod, ut loquuntur Juristæ, requirit dolum. Tunc autem ignorantia graviter culpabilis, non quidem affectata, sed supina, licet non excuset à gravi transgressionem legis, & ita non excuset à gravi culpa, excusat tamen à poena, quia lex addens hoc verbum, scienter, aut aliud æquivalens, significat se nolle, ut poena quam imponit, incurratur à transgressore, nisi transgressio habeat talem circumstantiam, nempe quòd fiat ex certa scientia, quam circumstantiam excludit ignorantia, quamvis graviter culpabilis, modò sit supina, non affectata: nam affectata, in æstimatione morali, æquivalet certæ scientiæ.

Obj. Ignorantia in jure æquiparatur scientiæ. *R. 1.* Ignorantiam affectatam in jure æquiparari scientiæ, & dolo, quia includit scientiam periculi; tum quia sufficit ad temeritatem, præsumptionem, & directam intentionem faciendi id quod à lege prohibitum est; tum denique quia legem & legislatorem contemnit.

Resp. 2. Similiter ignorantiam supinam in jure æquiparari scientiæ & dolo in duplici casu. 1. Quando damnum aliquod alterius subsecutum est. Sic v. grat. qui officium suum exercet cum ignorantia supina, perinde obligatur in conscientia ad reparanda damna inde secuta, ac si ea ex certa scientia intulisset. 2. Quando per legem poena imponitur simpliciter, & sine additione verborum scientiam & dolum requirentium: tunc enim poena imponitur præcisè propter gravem legis transgressionem. Unde cum ignorantia supina non excuset à gravi legis transgressionem, non potest excusare à debito poenæ.

RESPONSIO III.

Quando ignorantia excusat transgressionem legis, ne sit culpa gravis, licet non excuset ne sit venialis culpa, excusat tamen à poena gravi per legem imposita.

Prob. Nam gravis poena non imponitur, nisi propter gravem culpam. Ergo ubi non est culpa gravis, gravis poena locum habere non potest. Ergo hoc ipso quòd ignorantia excuset à gravi culpa, excusat quoque à gravi poena. Dico autem, gravi poena: nam si poena quam imponit lex, sit levis, & talis, ut in levem culpam cadere possit, tunc ignorantia, cum, ut supponitur, non excuset à culpa levi, non excusat à poena, & servanda sunt verba legis, & per poenam appositam velle etiam levem culpam punire, censenda est.

RESPONSIO IV.

Inculpabilis ignorantia solius poenæ præcisè non excusat ab ejus reatu.

Prob. Nam inculpabilis ignorantia solius poenæ non excusat transgressionem legis, ne sit graviter culpabilis: potest enim cum inculpabili ignorantia solius poenæ cognosci, aut nonnisi culpabiliter ignorari gravis obligatio legis, quia sicut ad hoc, ut lex graviter obliget in conscientia, & se graviter obligare sufficienter significet, non requiritur ut poenam apponat, ita, nec ad hoc, ut delinquens cognoscat, aut nonnisi culpabiliter ignoret gravem obligationem legis quam transgreditur, requiritur ut cognoscat, aut nonnisi culpabiliter ignoret poenam appositam. Ergo, &c.

Obj. 1. Poena nullo modo voluntaria est ei, qui transgreditur legem cum inculpabili ignorantia poenæ per legem appositæ. Ergo excusatur à poena per legem appositam. *Resp. neg. confeq.* Ut quis enim transgrediendo legem, incurrat poenam lege impositam, necesse non est ut hæc poena sit ei voluntaria: imò potius oportet poenam esse involuntariam, quam voluntariam, & ad incurrendam illam, omnino sufficit quòd delinquens ea dignus sit, ponendo causam, propter quam imposita est, sive impositam esse sciat, sive non sciat. Hinc Deus poena æterna puniet infideles propter peccata mortalia, quamvis etiam inculpabiliter ignorent talem poenam peccatis mortalibus deberi. Hinc etiam homines reis insignunt poenam, putà mortis furiis, etiam si ignoraverint futurum suspendii supplicio mulctari.

Obj. 2. Saltem inculpabilis ignorantia solius poenæ excusat ab illa, quando non inquitur absque contumacia, & ita qui legem ecclesiasticam transgreditur cum inculpabili ignorantia solius censuræ transgressionibus per legem impositæ, excusatur ab incurrenda censura, putà excommunicatione, cum nulla censura ecclesiastica incurratur sine contumacia.

Resp. neg. Nam verum quidem est, nullam censuram ecclesiasticam incurrere absque contumacia: at male supponitur ad contumaciam requiri, ut qui legem ecclesiasticam transgreditur, sciat, aut saltem nonnisi culpabiliter ignoret censuram à lege appositam. Ad hoc enim ut quis censeatur contumax aliquid faciendo, vel omitendo, quod lege ecclesiastica graviter prohibitum vel præceptum est, requiritur tantum, ut sciat vel scire possit & debeat, hoc reipsa graviter prohibitum vel præceptum esse lege ecclesiastica.

At inquit. Quid, si id quod lege ecclesiastica graviter prohibetur vel præcipitur sub poena censuræ ipso facto incurrendæ, sit etiam graviter prohibitum, vel præceptum lege divina, & delinquens sciat legem divinam, ecclesiasticam verò inculpabiliter ignoret? *Resp.* In casu proposito delinquentem peccare graviter, nec tamen censuram incurrere, quia non est contumax contra legem ecclesiasticam. Non est autem contumax, quia legem ecclesiasticam, quam etiam transgreditur, ignorat inculpabiliter, proindeque nec eam scit, nec scire potest, vel si potest, non debet.

debet. Cum ergo contra solam legem divinam peccet imputabiliter, peccat contra legem ecclesiasticam sine contumacia, sine qua tamen censura per leges ecclesiasticas imponitur, non incurritur.

Dices. Censura ecclesiastica est poena valde dura. Ergo non debet incurri, nisi propter absolutam contumaciam. Atqui delinquens non censetur absolute contumax, si inculpabiliter ignoret censuram impositam à lege ecclesiastica, quam etiam graviter transgreditur, & quam proinde cognoscit, vel nonnisi culpabiliter ignorat. Ergo ad incurrendam censuram lege ecclesiastica impositam, non sufficit in delinquente scientia, vel ignorantia culpabilis legis, sed etiam requiritur scientia, vel saltem culpabilis ignorantia ipsiusmet censurae.

Resp. neg. subst. Nam contumacia contra legem, nihil aliud est quam formalis inobedientia contra legem; & consequenter absoluta & perfecta contumacia contra legem, nihil aliud est quam formalis inobedientia contra legem aliquid graviter prohibentem vel praecipientem, sive transgressoribus imponat poenam aliquam, sive non imponat. Ad hoc autem ut aliquis sit formaliter inobediens legi aliquid graviter prohibenti vel praecipienti, sufficit, quod ponat vel omittat aliquem actum, sciens, aut saltem nonnisi culpabiliter ignorans illum esse lege graviter prohibitum, vel praecipitum. Ergo ut aliquis sit perfecte contumax contra legem, sufficit, quod ponat vel omittat aliquem actum, quem lege graviter prohibitum vel praecipitum esse scit, vel saltem non ignorat nisi culpabiliter, supple semper, ignorantia vel affectata, vel saltem supina, qua scilicet ignorat ex gravi negligentia, id quod scire tenetur.

Dices. Nemo excommunicari potest ipso facto per legem, quin ab ea praemonitus fuerit cum excommunicationis interminatione. Atqui transgrediens legem ecclesiasticam cum inculpabili ignorantia excommunicationis ipso facto imponitur per illam, quantumvis sciat actum quem ponit vel omittit, ab illa prohibitum vel praecipitum esse, non fuit ab illa praemonitus cum excommunicationis interminatione. Ergo, &c.

Resp. neg. maj. Et dico quod delinquens per legem, aliquid graviter prohibentem vel praecipientem sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, sufficienter ad hoc, ut delinquendo censetur perfecte contumax, praemonitus fuerit, hoc ipso praecise quod scivit, aut ignoravit ignorantia graviter culpabili, actum lege graviter prohibitum vel praecipitum esse, & consequenter quod sufficienter praemonitus fuerit, ad incurrendam ipso facto excommunicationem propter gravem legis transgressionem.

Dices. Censurae feruntur & ipso facto imponuntur ad puniendum contemptum legum ecclesiasticarum. Ergo non incurritur ipso facto, nisi ab iis qui aut sciunt, aut nonnisi ignorantia affectata vel supina ignorant illas ipso facto impositas esse transgressoribus. *Resp. neg. conseq.* Nam poenae purè vindictivae feruntur etiam, & ipso facto imponuntur ad puniendum contemptum legum ecclesiasticarum, & tamen incurritur ipso facto ab iis qui imputabiliter leges ecclesiasticas, à quibus ipso facto poenae illae imponuntur, violant, sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorent poenas illas esse ipso facto impositas. Ergo, &c.

Dices. Censurae sunt poenae medicinales. Ergo ea intentione imponuntur ipso facto per legem ecclesiasticam, ut ipso facto incurrantur ab iis tantum, qui legem transgrediuntur cum scientia, aut ignorantia vel affectata, vel supina censurarum illarum. *Resp. neg.* Itaque, quia censurae sunt poenae medicinales, ea intentione feruntur, non solum ut cognita deterreat à violatione legis, sed etiam, ut ii qui illas, legem culpabiliter transgrediendo, ipso facto incurrant etiam ignorantes, illis ad resarcienda damna & scandala, & ad resipiscendum inducantur, postquam se illas incurrisse receiverint. Facta autem commendatione, statim debent tolli.

Dices. C. Ut animarum periculis, de constitut. in 6. generatim dicitur ignorantes probabiliter non teneri sententiae per statuta Ordinariorum prolatis. Ergo omnino generatim intelligendum videtur, tam de ignorantibus sententiae solas, seu censuras per statuta latis, ut eas non incurrant, quam de ignorantibus statuta ipsa, ut illis non obligentur. Nam haec decisio animabus favorabilis est; cum facta sit, ut vitentur earum pericula, adeoque late extendenda est, quantum patitur verborum proprietates: favores enim ampliandi sunt, ut dicitur reg. 15. de reg. in 6. Hanc autem verborum ampliationem non solum patitur, sed etiam videtur requirere proprietates verborum.

Resp. Esto conseq. Adhuc saltem graviter delinquentes contra leges Pontificias, ipso facto incurunt censuras legibus illis ipso facto impositas, quantumvis impositas esse probabiliter ignorent. Quod enim hic singulare statuitur pro statutis Ordinariis, extendi nec debet, nec potest ad statuta Pontificia, quia Pontifex non est Ordinarius, sed supremus & universalis pastor. Imò ex hoc quod hic statuitur ne censurae, statutis Ordinariis prolatae, ipso facto incurrantur ab iis qui illas probabiliter ignorant, inferitur non solum, quod antea censuras statutis Ordinariis prolatas, ipso facto incuriebant etiam ii qui illas probabiliter ignorabant, sed etiam quod nunc censuras ipso facto latis à legibus pontificiis, ipso facto incurrant, qui contra leges illas graviter peccant, sive latis ab illis ipso facto censuras sciant, sive non. Nam exceptio firmat regulam, ut vulgo dicitur. Ex his autem sequitur tantum, assertionem nostram propter Caput citatum pati exceptionem in censuris ipso facto per statuta Ordinariis prolatis.


Porro pro adversariorum sententia nihil efficitur ex eo quod ratio, qua in dicto cap. motus est Pontifex, nempe ut animarum periculis obviatur, extendi posse videatur etiam ad statuta pontificia; nam quod nobis sufficit, re ipsa non extenditur à Pontifice, & potuit Pontifex ea specialiter moveri ad statuendum potius de censuris per statuta Ordinariis ipso facto prolatis, quam de censuris ipso facto prolatis per statuta Pontificia, ne incurrantur nisi ab iis qui eas sciunt, aut non ignorant nisi ignorantia crassa, vel supina, ut loquitur Pontifex: neque ad id defuerunt rationabiles causae, puta ne per statuta particularia Ordinariis, statutis communibus superaddita, nimium graventur fideles, & legum multiplicatione crescat animarum periculum.

Addi potest Pontificem nolle ut censuris per statuta Ordinariis latis, in foro interno ligentur ii qui statuta illa violant cum illorum ignorantia, modo haec ignorantia non sit crassa, vel supina, per ignorantiam crassam vel supinam intelligendo non quamlibet ignorantiam etiam gravem, utpotè ortam ex gravi negligentia, & sufficiente ad peccatum mortale, sed ignorantiam gravissimam ortam ex gravissima negligentia, qualis est ea propter quam ab aliquo ignorantur ea quae ab omnibus saltem regulariter sciuntur: cum tamen ad incurrendas ipso facto censuras, legibus Pontificiis ipso facto latis, sufficiat legum illarum transgressio facta ex qualibet ignorantia illarum graviter culpabili, & sufficiente ad peccatum mortale, sicut ante praetens Pontificis decretum; talis etiam transgressio statutorum particularium Ordinariis sufficiebat ad incurrendas ipso facto censuras, latis ipso facto per illa statuta; at nunc sufficere non potest, ita in dicto Cap. statuente Pontifice, ut animarum periculis obviatur.

Dices denique. Cognitio censurae, per legem ecclesiasticam ipso facto impositae, necessaria est ad cognoscendam gravem legis obligationem, quam tamen qui non cognoscit, nisi illam ignorantia graviter culpabili ignoret, censuram ipso facto impositam incurtere non potest. Ergo qui legem ecclesiasticam transgreditur, non incurrit censuram, nisi illam cognoscit, aut ignoret illam ignorantia graviter culpabili.

Resp.

Resp. neg. ant. Nam gravis obligatio in conscientia, quam lex intendit imponere, sufficienter cognosci potest vel ex verbis legis, vel ex materia, vel ex aliis circumstantiis.



DISPUTATIO VIII.

De Lege irritante.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dari possint leges irritantes, & an sint penales.

RESPONSIO I.

Dari possunt leges humanae irritantes, *Prob.* Valer ab actu ad potentiam. Atqui in utroque iure civili & canonico, dantur leges irritantes, seu requirientes in multis contractibus certas condiciones, sine quibus, vi legum illarum, invalidi sunt quoad morales effectus, qui per illos fieri possunt, & re ipsa fierent, si validi essent.

Ratio à priori est, quia 1. Potestas irritandi contractus non est contraria iuri naturali. 2. Ad bonum commune, & rectam gubernationem requiritur, cum sine tali potestate, fraudes aliaeque gravia incommoda, & reipublicae multum nociva, impediri saepe nequeant. Sed pro sequentibus propositionibus.

Nota. Legislator potest aliquem actum irritare dupliciter, directe scilicet & indirecte. Irritat indirecte, cum aliquid per legem primario constituit, & ita consequenter tantum prohibet & irritat. Talis est lex dans formam actui, & consequenter irritans talem actum factum sine tali forma, ut lex requirens ad valorem testamenti certum numerum testium. Legislator irritat directe, quando per legem prohibet aliquem actum cum verbis sufficientibus ad irritandum. Talis est lex prohibens matrimonium Religiosi professi, aut Clerici in sacris constituti. Huiusmodi autem prohibitio cum irritatione conjuncta, fieri potest ob finem triplicem. 1. Propter bonum commune, quia scilicet ad cultum divinum, vel religionis decetiam, cui provideri bonum commune postulat, ita expedit. 2. In favorem aliquarum personarum, puta ut earum fragilitati subveniatur. 3. In odium personae, seu actionis ejus.

Porro actus irritatio separari non potest ab inhabilitate personae; & quoties legislator irritat aliquem actum, sive directe, sive indirecte, toties inhabilitat personam: quoties enim aliquem actum irritat, toties reddit voluntatem subditi inefficacem & impotentem ad aliquid, nempe ad contrahendum, vel ad acquiendum, aut transferendum dominium, &c. quae voluntatis subditi inefficacia & impotentia est persona inhabilitas. Hinc efficitur personas aliquando inhabilitari simpliciter ad aliquem actum in specie, quando aliquis actus in specie simpliciter irritatur, ut patet in lege irritante matrimonium clerici in sacris constituti; aliquando inhabilitari respectivè tantum, quando actus irritatur tantum respectivè ad tales personas, v. gr. ut patet in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum; aliquando denique inhabilitari ad aliquem actum tali modo faciendum, quando irritatur actus tali modo factus, ut patet in lege irritante matrimonia clandestina.

RESPONSIO II.

Lex irritans actum indirecte tantum, & consequenter ad institutionem formae servandae in contractu, non est poenalis.

Prob. Lex enim hoc modo irritans aliquem actum, nullam supponit culpam, sive propriè, sive latè dictam, propter quam actum irritet; & neminem intendit punire, sed solum providere bono communi,

instituyendo formam actui quasi substantialem, & sine qua proinde valere non possit actus ad praestandos effectus morales, qui per illum intenduntur. Lex igitur hoc modo irritans aliquem actum, moralis est, non poenalis.

RESPONSIO III.

Lex prohibens actum, & irritans illum intuitu boni communis, vel privatorum, quod in bonum commune aliquo modo redundat, non est poenalis.

Prob. Quia talis lex actus irritationem neque intendit in odium personae, neque in vindictam culpae propriè dictae, neque tanquam onus vel incommodum, quod imponat omittenti vel ponenti aliquem actum, quem fieri vel non fieri exigit, licet sine absoluto praecepto illum faciendi vel non faciendi. Quod si huiusmodi irrationes aliquando cedant in detrimentum alicujus personae, hoc est praeter intentionem legislatoris, qui tale detrimentum non intendit, & multò minus intendit ut puniat.

RESPONSIO IV.

Lex prohibens & irritans actum in odium personae, seu in vindictam culpae propriè dictae, etiam qua irritans, poenalis est.

Prob. Lex enim irritans, etiam qua irritans, poenalis est, quando intendit irritationem sub ratione poenae, ut patet ex terminis. Atqui lex prohibens & irritans actum in odium personae, seu in vindictam alicujus culpae, intendit irritationem sub ratione poenae, quod convenientissimè facere potest. Nam irritatio est magnum incommodum, & saepe valde accommodatum delicto vindicando. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrum, quando, & ad quid obligent leges irritantes.

RESPONSIO I.

Lex dans formam actui, & ita indirecte & consequenter tantum irritans ipsos actum carentem tali forma, non obligat quidem ad exercitium actus, sed obligare potest ad non exercendum actum sine tali forma; & re ipsa ita obligat, quando vel se obligare velle significat sufficienter, vel id materia legis ex natura sua postulat.

Prob. 1. pars. Quia talis lex nullum actum absolute praecipit. Sic lex dans formam matrimonio, vel testamento, non praecipit ut matrimonium contrahatur, aut condatur testamentum. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Potestas enim obligandi in conscientia ad non faciendum actum sine tali forma, non est injusta, & pertinere potest ad convenientem & utilem reipublicae administrationem. Ergo negari non potest legislatori, lege sua danti formam actui propter bonum commune, aut propter aliud bonum, in bonum commune aliquo modo redundans. Ergo revera obligat, si satis exprimit se velle obligare; in quo non est difficultas. Ergo etiam si non exprimat se velle obligare, adhuc obligat, si materia circa quam versatur lex, hoc est, si actus cui lex dat formam, talis sit ex natura sua, ut inhonestum sit velle illum facere, quando non potest fieri valide: tunc enim lex dans formam actui, sine qua valide fieri non potest, censenda est velle obligare in conscientia ad non faciendum illum sine tali forma. Sic v. gr. lex dans formam matrimonio, hoc ipso censenda est graviter obligare in conscientia ad non contrahendum matrimonium sine tali forma, quia matrimonium contractum sine tali forma, invalidum est, & est inhonestum velle contrahere matrimonium invalidum. Ex his manet probata pars tertia responsionis.